

in festo Walpurgis mediam partem et in festo beati Michaelis reliquam partem, sed et in festo paschae pro servicio quinque scocos ovorum et in festo Michaelis decem pullos, quos mansos iam dictus Jordanus miles a Meinhero burchravio de Misna viro nobili tenuit, dictus vero burchgravius a nobis deinde titulo iusti feodi. Post resignationem etenim dictorum mansorum in manus burchgravii, deinde et ultimo favorabiliter ab eodem burchravio ad manus nostras factam, ob honorem dei ac genitricis suae damus donamus et proprietatis titulo attribuimus saepedictos mansos cum omni iure suo ecclesiae sanctae Aerae in Misna libere possidendos. Ut autem haec donatio a nobis facta robur obtineat firmitatis, praesens scriptum conscribi fecimus nostro sigillo firmiter roboratum. Testes vero huius sunt vir nobilis Albero burchgravius de Liznic, viri strenui Henricus de Colditz, Henricus de Trebezin, Reinhardus de Hersvelde, Vlricus de Maltitz, Guntherus de Glubozk milites et alii plures fide digni. Datum Rochlez anno domini M^o.CC^o.LXXXIII^o. III^o. idus Februarii.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem beschädigten Reitersiegel an einem Pergamentstreifen. Von einer zweiten weniger gut und vollständig geschriebenen Urkunde ist das Siegel verloren. Märcker Burggrafschaft. Meissen S. 432 f.

No. 181. Um 1294.

Der Probst Leo und der Convent stellen dem Abt zu Chemnitz und dem Probst zu Wurzen als päbstl. Commissarien vor, wie das Kloster Seuslitz sie in dem ruhigen Besitze eines Waldes bei Radewitz gestört habe und beantragen Schadenersatz.

Coram vobis domino F. abbate monasterii in Kemnitz ordinis sancti Benedicti et vobis domino Johanne praeposito Worcinensi iudicibus a sede apostolica delegatis nos Leo praepositus, Albertus prior totusque conventus canonicorum regularium ordinis s. Augustini ecclesiae s. Aerae in Misna conquerendo proponimus, quod abbatissa priorissa totusque conventus sanctimonialium ordinis s. Clarae in Suselitz, Misnensis dioeceseos in possessione silvae ad ius et proprietatem ecclesiae nostrae pertinentis, silvae inquam adiacentis villae sive allodio Rasewitz^a), cuius silvae termini hi sunt — rivulus in agro decurrens, qui dividit agros villarum Bretselin et Rasewitz, idem rivulus dividit silvam domini Ottonis de Suselitz et aliorum circum sedentium et silvam villae Rasewitz in ipso fundo, ubi autem rivulus in decursu venerit contra agros in monte sitos saepedictae villae Rasewitz, ab ipso rivulo sursum usque ad ipsos agros sunt termini silvae ad ecclesiam pertinentis — iniuriose nos perturbant et turbant silvam sibi asscribentes, dicentes ipsam ad eas pertinere, cuius dicti occasione debitum usum silvae ecclesia nostra et nos habere non potuit, et ex hoc ad quadraginta marcas nos damnificatos dicimus, petentes dictam dominam abbatissam et conventum eius nobis ad quadraginta marcas damni percepti condemnari et ipsas a vi turbativa compesci. Haec petimus salvo iure addendi diminuendi mutandi et corrigendi et protestamur de expensis iam factis et adhuc in lite faciendis.

Nach dem Chartul. mon. s. Aerae II. fol. 58.

a) Radewitz bei Seuslitz.